

## Aduertencias para

quia sunt plures duobus, tunc virtute indul-  
torum, eligant ex se vnum pro praelato. Et in  
tali casu, quando scilicet solum essent tres, si  
vnus eorum esset Laicus, vel Iuuenis, qui non  
dum compleffet trienium in religione. & ideo  
per statuta religionis diui Francisci [si illius  
esset religionis.] non habet vocem actiuam:  
puto quod in tali casu, necessitas dat sibi vocem  
actiuam, quia sic expedit, & virtute indulto-  
rum talis potest eligere. Quinimo plus dico  
quod etiam sine indultorum virtute, in tali ne-  
cessitate potest talis eligere: hoc probatur in  
simili. Nam secundum omnes doctores, quando  
quis est in extrema necessitate periculi, mor-  
tis, potest eum absoluere quilibet Sacerdos,  
etiam religiosus Sacerdos, qui non habet po-  
testatem a suo praelato, neque ab Episcopo au-  
diendi confessiones. Igitur si ad administran-  
dum Sacramentum Penitentiae, dat auctori-  
tatem suprema necessitas, ei, qui eam de iure non  
habet, immo cui non licet, sine extrema ne-  
cessitate ea vti, alias absolutio nulla esset.  
Quare potestatem eligendi eadem suprema  
necessitas ei non dabit, qui eam non habet.  
Ibi enim datur, ne quis sine confessione mo-  
riatur, hic autem, ne oves sint errantes sine  
pastore